


A 56500 (116)



COMMENTATIO
DE
SINGVLARI
GIESSENSIVM
STVDIO CONSERVANDAE
PVRIORIS DOCTRINAE
CONTRA
SOCINIANORVM DEPRAVATIONES
VARIIS OBSERVATIONIBVS ILLVSTRATA:

AD
*VIRVM SVMME REVERENDVM, EXCEL-
LENTISSIMVM ATQVE AMPLISSIMVM,*
**IOANNEM IACOBVM
RAMBACHIVM,**
S. S. THEOL. DOCTOREM EIVSDEMQUE IN
REGIA FRIDERICIANA PROFESSOREM PVBL. ORD.
*QVVM IN ILLVSTRI LVDOVICIANA,
QVAE GISSAE EST,*
PRIMARIVS THEOLOGIAE PROFESSOR, SACRORVM IBIDEM AD-
TISTES PRIMVS AC SACRI TRIBVNALIS ADSESSOR CREARETVR,
ET CONTRA SOCINIANOS DOCTISSIME PIEQVE DISPVRET,

GRATVLAVNDO ANIMO SCRIPTA
A
M. ERNESTO FRIDER. NEVBAVERO
AMPLISS. PHILOSOPH. ORDINIS IN REGIA FRIDERICIANA ADIVNCTO.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
APVD IO. CHRISTIANVM HENDELIVM, 1731.

Grossh.
Universitaets-
Bibliothek
GIESSEN



Σύνοψις.

In conseruanda defendendaque veritate duplici extremo vitato, §. I. cum prudentia versari debent theologo, §. II. quo nomine laude adficiuntur *Gieffenses*, contra *Socinianos* frequentissime adcurateque disputantes, §. III. vnde de ipsorum contra Socinianos scriptis meritisque promittitur tractatio, §. IV. ex quibus præcipue notandi

- I. qui *peculiaria Socinianis scripta opposuerunt*: vt
 1. Io. *Winckelmannus*,
 2. Balth. *Menzerus*, §. V.
 3. Iustus *Feurbornius*, §. VI.
 4. Pet. *Haberkornius*, §. VII.
 5. Christ. *Nisanius*, §. VIII.
 6. Io. Christoph. *Bielefeld*,
 7. Io. Bartholom. *Rüdiger*,
 8. Christoph. Lud. *Schwarzenau*, §. IX.

9. Io. Henr. *Maius*, pater, §. X.
 10. *alii*, quorum dispp. in *Gieffens.* extant dispp. §. XI.

II. qui *contra iudeos diuinitatem Messie, seu Christi, adseruerunt*, eademque opera contra Socin. disseruerunt, §. XII. vt

1. Christoph. *Heluicus*, §. XIII.
2. Pet. *Haberkornius*, §. XIV.
3. Io. Henr. *Maius*, §. XV.

III. qui *uniuersam theol. polemicam tractauerunt*, vt *Kilianus Rudraufius*, Mich. *Siricius*, §. XVI.

IV. *His omnibus accessit, qui Gieffensibus nunc adsociandus est*, vner. *Rambachius*, ad quem, scriptis eius anti-Socinianis recensitis, fit transitio gratulabunda, §. XVII.

§. I.

QVANDOQVIDEM innumera deplorandaque damna in res humanas inuehit theologorum siue negligentia & præpostera erga dissentientes lenitas, siue iuuenilis quædam ambitio ac cum omnibus alter-

candi libido: indeque sanctissimæ religionis conuersiones pariter ac confusiones pietatisque ruinæ & funestissimæ clades illorum sæpe culpa oriuntur & excitantur: illi omnino theologi summis laudum præconiis extollendi ac magnificiendi videntur, qui, vitato vtrunque extremo resectisque partium studiis, veritati quidem omni ratione defendendæ student; sua tamen consilia ad exactissimam prudentiæ normam ac regulam dirigunt.

§. II.

Theologorum, quod nemo in dubium temere vocauerit, hoc sane est munus, hæ partes, vt sanctiorem doctrinam ab omnibus corruptelis summo studio & omni virium contentione incorruptam illibatamque conseruent * ac propagent; nisi

* Quo de theologi officio præceperunt BERNHARDVS VON SANDEN, episcopus quondam Sambienſis ac theologus Regiomonti clarissimus, in *diss. theol. de forma sanorum verborum seruanda theologo doctri in ecclesia Lutherana*, quæ in eius *theologia symbolica Luther* p. 181. sqq. exstat; vener. HENR. MVHLIVS, theologus hodie Kiliensis primarius, *de eo, quod iustum est, & factu vitatuque necessarium circa puram doctrinam custodiendam,*

cum præscriptione de cautionibus in censendis aut recensendis theologorum nostratium præcipue, scriptis, quam maxime obseruandis, Kiliæ, 1716. 4. vbi inter alia viri doctissimi legitur *diss. de studio æquitatis tuendæ adserendæque orthodoxiæ maxime necessario*, nec non CASP. CRVCIGERI *oratio de puritate doctrinæ in ecclesia conseruanda*; IO. GEORGIVS IOCHIVS, theologus Vitemb. hodie clarissimus, in *dissert. theol. de conseruanda doctrinæ*

euan-

nisi id tamen decenti fiat ratione, ac cum modestia prudentia-
que, * virtutibus præcipuis, necesse est, vt ingens malorum
cumulus ecclesiæ adferatur. Igitur id in primis sollicitè agunt
theologi sapientes, qui tantæ rei cura tanguntur, vt cunctis,

A 3

quæ

euangelicæ puritate, Vitemb. REIZIVS in *prudencia ecclesi-*
1727. & celeb. noster IOAN. *stica illustrata*; IO. WOLF-
HENRICVS CALLENBERGI- GANGVS IAEGERS in *spe-*
VS, quem honoris causa no- *cimine moderationis theologi-*
mino, in *commentat. de causis, cæ*; MICHAEL FOERTSCHI-
quibus impellamur ad conser- VS in *diss. de prudentia iu-*
uandam doctrinæ euangelicæ *storum*, nec non in *diss. de iu-*
puritatem, itemque in *com-* *dicio æquitatis in dissensu circa*
mentat. de modo præsidis que *sacra*; IO. FRANCISCVS
conseruandi doctrinæ euangeli- BVDDEVS *progr. de theolo-*
cæ puritatem. Denique adde, *giæ polemicæ studio solide ac so-*
quæ vener. IAC. ELSNERVS *bricie instituendo*, in eius *miscell.*
in *orat. inaug. de zelo theologi*, *sacris* part. I. p. 494. sqq. Ce-
Lingæ 1721. dicta, & SAM- *terum de moderatione, quam*
EL WERENFELSIUS, Basile- *Sociniani fingunt sibi que tri-*
ensis theologus celebratissi- *buunt*, vide vener. IO. IAC.
mus, in *oratione de recto theo-* RAMBACHII *diss. theol. inaug.*
logi zelo, 1722. recitata & *qua pellis ouina, Socinianis de-*
Geneuæ excusa, monuerunt. *tracta, sistitur*, sect. I. §. II. p.

* De hac prudentia multa *41. sq. & sect. II. §. II. p. 137.*
multi præclare monuerunt, *& confer CONR. THEODORI-*
vt THOMAS CRENIUS, sub *CI, siue DIETERICI, Gies-*
DOROTHEI SICVRI nomine, *senfis philosophi, orat. de mixta*
in *prudencia theologica, expli-* *bareticorum prudentia, Gies-*
catione commendata; HENR. *habitam & Londini 1720. ed.*

quæ suboriuntur, controuersis, iustum statuunt pretium, * easque ratione salutis nostræ, quæ e dogmatibus vel detrimentum aliquod accipit, vel prorsus amittitur, vnice dimetiantur. Fugiunt inanes verborum pugnas, detestantur, si internecionis odiis coortis se ipsos mutuis cædibus fratres conficiant; contra vero pessimorum ac periculosorum quorumcumque errorum, a veritatis cælestis hostibus commissorum, acerrimi atque implacabiles sunt inimici & sempiternum cum iis bellum suscipiunt.

§. III.

Qua in re, vbi exempla dispicio, insignem mihi laudem *theologi Giessenses* mereri videntur: qui vti tenerrimo amore veritatem diuinam complexi sunt semper: ita id sibi negotii datum præsertim crediderunt, vt tum contra alios deprauatores quam plurimos, tum vel maxime contra improbam *Socinianorum* turbam eandem adfererent & vindicarent. In quo præclare ac sapientissime egisse mihi videntur. Neque enim facile putandum est, vniquam accidere posse, vt Socinianis
fæui-

* Ita sentiunt maiores nostri in libris symbolicis, ac speciatim quidem in *solida, plana ac perspicua repetitione & declaratione*, p. 637. *quare, inquit, in hac etiam parte mentem nostram inuicem declaramus, quod videlicet discrimen sit habendum inter non necessarias atque inutiles contentiones, quæ plus destruunt,* *quam ædificant, ne iis ecclesia perturbetur: & inter necessaria certamina, quando tales controuersie incidunt, vbi de articulis fidei aut præcipuis partibus christiæ doctrinæ agitur: tum enim ad veritatis defensionem, necessario contra via & falsa doctrina est refutanda.*

ſeuiores ac nocentiores lupi eccleſiam vexent: ſiquidem illi, quidquid eſt fundamenti, quo ſalus noſtra nititur, incredibili temeritate ac tantum non inſania, funditus euertunt ac demoliuntur. *

§. IV.

* Grauter pro rei dignitate b. MART. LVTHERVVS, poſtquam de Ariana hæreſi loquutus fuiſſet, monet: wie dann allezeit wider dieſen artickel geläſtert haben beyde Iuden, Türcken und Ketzer, und ietzt noch in vielen derſelbigen zeufel ſich ſehen läſſet, und, da Gott für ſey, wo er raum und lufft kriegte, würde er bald mit gewalt einreiſſen. Dann das iſt unſer höchſter und treflichſter artickel, ia der grund und fels, darauf alle andere artickel des glaubens ſtehen müſſen. Darum läſſet ihn der zeufel nicht unangefochten, ſondern braucht alle ſeine kunſt und ſchalckheit, erwecket allerley ærgerniß und rotterey, daß er ihn unreiſſe und zerrütte. Ia hier iſt er meiſter über alle meiſter. Dann er kann ja wol ſo ſchöne gedancken machen, und mit ſolchem ſehein aufblaſen, daß alle vernunfft, weiſheit und kunſt ſich muß gefangen geben, cetera, quæ plane egregia ſunt omnia, legenda in eius explicat. Ioan. XVII, 3. quæ adnexa eſt eius lauterer lehre von der rechtfertigung, das iſt, ſermon von chriſtlicher gerechtigkeit, oder vergebung der ſünden, Halæ 1725. p. 34. ſq. PETRVS quoque HABERKORNIVS in dedicatione, poſtumo anti-Eniedino, præmiſſa, articulum de vera, ſumma & æterna Chriſti diuinitate ita fundamentalem & grauiffimum eſſe monſtrat, vt cuncta, ad ſalutem noſtram pertinentia, beneficia, illi quam arctiſſime innitantur & ex eo dependant. Conſentiunt libri ſymbolici, in quibus propterea nouo-

§. IV.

Animus igitur est, præcipuos, qui ex Giessensibus contra Socinianos in arenam descenderunt ac depugnarunt felicissime, in scenam quasi producere, eorumque pium veritatis defendendæ studium contra pestilentissimos hosce homines considerare. Non itaque omnes, sed tantum maxime illustres, adtingam: vtpote ex quibus solis integra *anti-trinitariorum*, quos vocant, librorum bibliotheca instrui quodammodo potest.

§. V.

nouorum Arianorum *dogma impium & blasphemum* vocatur, reiiciturque & damnatur, p. 829. Plura dabunt GEORGIVS BVLLVS in *iudicio ecclesiæ de necessitate credendi, quod Christus sit Deus & beatus* IOAN. FRANCISCVS BYDDEVS in *diss. de necessitate credendi sacrosanctam trinitatem*. Et sane verissimam hanc orthodoxorum esse sententiam, nemo, qui altius hæresin hanc introspicit, temere negauerit. Profani enim homines isti, rationi sacram in scripturam dictatura tradita, summa miscuerunt imis: vt acuta ac vera sit inscriptio, quam stilo recentiori in FAVSTVM SOCINVM elaboravit suisque *stili cultioris fundamentis* p. 560. suffixit illustris IO. GOTTL. HEINECCIUS: *Si patriam quæris: Italia est, cuius antiquos colonos imitatus, scelere superavit. Italia terris; hic celo leges præscribere ausus est. Illa de tribus terræ partibus: hic de tribus deitatis personis triumphum adfectavit. Cui ipse humanitatem debebat, eius diuinitatem; cui redemptionem; eius redimendi virtutem, nefario sine dubio ausu, in dubium vocauit. Et postea: sacras litteras scrutatus est, verum vt aper vineam; proculcaturus, quibus frui potuisset.*

§. V.

Primum locum, ut temporis rationem habeam, suo sibi iure hic vindicant duumviri illi ac fugientis orthodoxiæ statores, IOAN. WINCKELMANNVS & BALTHASAR MENZERS, qui primi omnium Ludouicianæ fuerunt theologi. Ille enim *de æterna Christi deitate* aliquid posteritati reliquit: quod venerandus IOAN. IACOBVS RAMBACHIVS, * cui scheda hæc est consecrata, collaudat. Et merito sane. Ut enim omnia viri acutissimi scripta sunt comparata: sic & hoc solide, docte, pie est conscriptum. Hic autem MENZERS tum alibi, tum in *exegefi Augustanæ confessionis* locupletiori, ** Photinianos, quorum mentem sententiamque adoptarunt Sociniani, idemtidem debellavit: idque ita, ut ingenii acumen, sanitatem doctrinæ, iudicii limam singularemque perspicuitatem ostendet.

§. VI.

Maximas nunc laudes meretur IVSTVS FEVRBORNIVS, MENZERI gener, theologus consummatissimus, philosophus acutissimus, disputator subtilissimus, ob egregia scripta, quæ contra Socinianos omnium videntur præcipua,

B

immor-

* In *dissert. theol. qua Iesu Christi summa diuinitas ex eius iuramentis per se ipsum demonstrata sistitur*, §. 2. p. 8.

** Distinguendæ sunt editiones *Menzerianæ* exegeteos, in quarum prima caue antithesin Photinianorum quæ-

ras. Nihil enim eius ibi inuenies. In reliquis ea conspicitur. Optimum sine dubio & locupletissimum exemplar deprehendes in *operibus eius latinis*, a filio cognomine, theologo itidem magno, editis Francof. 1669. 4. tomo I.

immortalis. * Erat hic quidem sacris in bellis omnibus longe exercitatissimus, omnium fere hostium, quos debellaue- rat fortiter, tropæis illustris; præ reliquis autem ipsum victo- rem Socinianorum fuisse inuictissimum, vere mihi videor posse contendere. Præter disputationem *de æterna Christi deitate* communis iuris fecit *anti-Ostorodum, seu refutationem institutionum theologicarum Christophori Ostorodi, religionem Photinianorum blasphemè professi*, ** CHRISTOPHORO OSTORODO, Racouienti doctore, oppositam. Post mor- tem quoque eius magni soceri non minor gener, PETRVS HABERKORNIVS, publicæ luci donauit *postumum anti-Enie- dinum, seu vindicationes locorum sacrorum, tam in veteri, quam in nouo testamento occurrentium, & veram ac æternam Christi Iesu, saluatoris nostri vnici, deitatem, inuictè demonstran- rium & euinentium*. *** Quantum hisce in scriptis est iudici- um! quam abundans doctrinæ copia! quam elaborata sunt omnia!

* De vita eius laudibusque honoribus complexam, ad euoluatur clariff. IO. LVDOL- PHVS BVNEMANNVS, gy- mnasii Mindensis rector meri- tissimus, in progr. quo *docto- rum virorum, maximam par- tem Guesphalorum, vitas in- dicit 1713. §. 19. vbi inter a- lia memorat, Francofurtum, Altorfium, Ienam, Argen- toratum, Vitembergam de hoc viro certasse; solam vero Gief- sam, ipsum tot beneficiis atque*

honoribus complexam, ad mortem vsque obtinuisse. Iunge IO. NICOL. MISLERI *orat. parentalem in laudem & memoriam indelebilem Feuerbornii, quæ adnexa est huius postumo anti-Eniedino, p. 190. sqq. & das allgemeine histori- sche lexicon, f. 340. b.*

** Marburgi, 1628. Gief- sæ, 1658. 4. alibique.

*** Gieslæ, 1658. 4.

omnia! Nulla illis scripta anteferuntur, paria paria putantur. * Ne vero sublestæ fidei testis videar, alios aduocabo, ab omni partium studio longe alienissimos, Ienenses duo theologos, quorum mihi longe iucundissima sunt nomina, IO. FRANCISCVM BVDDEVM, IOANNEMQUE GEORGIVM WALCHIVM. Hic namque, ** illo comprobante, inter scripta, Socinianis contraria, non solum Feurbornianis primum adsignat locum; verum etiam singulari laude ornat omnibusque de meliori nota commendat. Tacemus alios. *** Non itaque mirandum est, haud exiguum vndique doctiorum numerum Giessam se tunc contulisse, ad magni huius FEURBORNII recitationes percipiendas, inter quos CONR. SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS, **** polyhistor postea summus, merito scholam illam illustravit.

§. VII.

* Ea autem in FEURBORNII operibus theologicis non reperiuntur: vti testatur venerandus CHRISTOPH. MATTHAEVS PFAFFIVS *introd. in historiam theol. litterariam*, lib. III. §. 10. num. (z) p. 324.

** *In der histor. und theol. einleitung in die vornehmsten religions-streitigkeiten*, cap. V. §. 8. p. 579. *darin er*, inquit, *die beyden bekanten Socinianer, den Ostorodum und Eniedinum,*

so gründlich refutiret, daß die se beyde bücher vor hauptschriften in diesen controuersien passiren.

*** Sic laudatus BVNE-MANNVS multis laudibus ea exornat. *Scripta eius*, inquit, *adcuratissima de grauissimis fidei controuersis aduersus Socinianos - - singularem viri doctrinam, ingenium atque iudicium, demonstrant; l. c.*

**** Referente ADOLPHO CLARMVNDI, hoc est, IO.

§. VII.

Proximum locum PETRO HABERKORNIO, qui decus & ornamentum singulare academiae Giessenæ fuit, assignabo. Erat ille illustri ac nobili Haberkorniorum sanguine fatus, * ac generoso tantoque equite digno animo ac virtute cum Socinianis idemdem congregiebatur, non quidem gladio, non hasta, non armis aliis, sed verbo diuino, quod quouis gladio ancipiti est penetrantius, eosdemque confecit. Sunt autem varia scripta, quæ Socinianis opposuit, videlicet: *collegium geminum anti-Photinianum*; tum *dissertationum theologicarum syntagma*, quibus tremendum *S. S. trinitatis mysterium ex Ἰερωτεύσεως veteris testamenti scriptis clare, solide atque inuicte contra rabbinos, Photinianos, cet. demonstratur*, porro *syntagma secundum*, nec non *disp. de passione Christi contra Socinianos*, eo præside habita a filio IVSTO BALTHASARE HABERKORNIO ** & inserta *disputat. Giessens.* tom. IX. n. 17. Quo & quam maxime referendus est *tractatus eius admodum luculentus, fundamenta orthodoxa ostendens in articulo omnium gravissimo de persona*

CHRISTOPH. RVDIGERO, in *der lebens-beschreibung des weltberühmten polyhistoris C.S. Schurzfleischens*, p. 10.

* Locum illi propterea summe reuer. REINHARDVS HENRICVS ROLLIVS, theologus hodie Giessensium doctissimus, dedit in *bibliotheca nobilium theologorum histori-*

co-theologica selecta, in hypomnematibus p. 489. sqq. Idem obseruat auspiciis beati IO. FRANC. BVDDEI editum *allgemeines historisches lexicon*, tom. II. f. 710. edit. III.

** Verbi diuini ministro Giessensi, de quo legi item potest laudatus ROLLIVS dicto loco, p. 493.

sona Christi Iesu, saluatoris nostri vnici, contra quoscumque antagonistas, circa illum grauissime alucinantes, adornatus. Id obseruare adhuc decet, CHRISTOPHORVM CELLARIVM, quem inter maxima sua ornamenta merito olim Fridericiana numerauit, huius quoque HABERKORNII fuisse discipulum. Quum enim theologus ille magnam nominis sui existimationem apud omnes excitaret veritatis studiosissimos: factum hinc est, vt purioris doctrinae amantissimus CELLARIVS Giessam * sese conferret, huius theologi dexterrima institutione praecipue vsurus. Neque ex hac academia discedebat, nisi habita ** disputatione theologica, eaque Socinianis opposita, *de infinito valore meriti Christi.*

B 3

§. VIII.

* Qua de re conferri possunt, qui *Cellariana* merita exposuere, beatus AVGVSTVS HERMANNVS FRANCKIVS in sermone funebri, Germanica lingua habito, f. 20. progr. quo *exequias Cellarii* indixit *Fridericianae* tunc prorektor, illustris FRID. HOFFMANNVS noster, stilo perillustris cancellarii IO. PETRI A LVDEWIG conscriptum, cuius *opusculis oratoriis* insertum id legitur, p. 311. seq. IACOBVS BYRCKHARDVS in *epistola ad*

Burc. Gottbelf Struuium, de Cellarii obitu, f. 5. IO. GEORGIVS WALCHIVS in *diss. de Cellarii vita & scriptis*, praemissa eius *dissertationibus academicis*, ** 5

** Anno epochae christianaе CIOIOCLXI. die XXV. Ian. Inserta reperitur haec diss. PET. HABERKORNII *tractatui fundamenta orthodoxa ostendenti in articulo omnium grauissimo de persona Iesu Christi*, estque ibi vndecima, p. 345. sqq.

§. VIII

Succedat nunc e Giessensibus CHRISTIANVS NIFANIVS, postea sacrorum antistes Rauensbergenfis, meritorum laude abundantissimus, qui itidem contra Socinianos strenue militauit: quemadmodum hac in arte magistrum nactus fuerat magnum ABRAH. CALOVIUM, artificem peritissimum & exercitatissimum. Quum idemtidem consensum doctrinae suae cum primitiuae ecclesiae doctrina iactent Sociniani: luculenter commentum hoc confecit NIFANIVS contrariumque adseruit edito *Iustino, veritatis euangelicae teste & confessore in articulis de S. S. trinitate & persona Christi contra Sandium*. CHRISTOPHORVM autem SANDIUM hac in re praecipue fumum vendidisse, notauit quoque ven. IO. IAC. RAMBACHIVS. * Adhaec notissimum est, nullum facile sacrorum scriptorum a Socinianis in peruersissimum sensum tantopere detorqueri, praeter *Ioannis euangelium*, ** utpote quod numquam non fides fuit in oculis quibusuis diuinitatem negantibus. Laudabilem itaque longeque vtilissimam operam nauauit laudatus NIFANIVS, dum diuinum *Ioannem* duplici

la-

* In *diff. theol. inaug. quae pellis ouina, Socinianis detraeta, sistitur*, sect. I. §. 10. p. 36. adde sect. II. §. 10. p. 122. Ceterum HENR. ECHARTVS, siue ECKHARDVS, theologus olim Giessensis, in *compendio theologiae patrum*, nostram quoque doctrinam ex selecti-

oribus eruditae antiquitatis testimoniis quolibet in loco contra Socinianorum obtrectiones confirmauit.

** Cuius lucem ipse FAVSTVS SOCINVS infausto labore obscurare tentauit in *commentario in euangelii Ioannei initium*.

labore contra horum expositiones muniuit firmavitque, editis nimirum *positionibus philologico-theologicis aduersus viri illustris Hugonis Grotii adnotationes in Ioannem*, & publicato deinceps *commentario in Ioannem* vberiori. In utroque scripto tum aliorum, tum vel maxime HVGONIS GROTHII expositiones & corruptelas examinavit, variisque, quæ vindicavit, locis, lucem non contemnendam adfudit. Recte autem a me hæc contra GROTHIVM euulgata scripta anti-Socinianis adnumerantur, quum, quod deplorandum, iusto vtrique Socinianis fauentior fuerit GROTHIVS, dolentibus id vehementer summis viris, ABRAH. CALOVIO, * IOAN. NICOLAO MISLERO, ** theologo quondam Giessensium præstantissimo, CHRISTIANO NIFANIO, *** IO. IACOBO RAMBACHIO **** aliisque.

§. IX.

Nec ex iis, qui recentissimis temporibus Giessam orna-

* Tum in vniuersis *bibliis illustratis*, tum in *theologia apostolica romana*, præcipue etiam eidem præfixa dedicatione.

** Hic in carmine, CHRISTIANI NIFANII *positionibus philol. theol.* præfixo, ita canit:

Ad scriptum diui glossemata vana Ioannis

Grotius e calamo liberiore tulit.

Illam impuram deducit ab ore Socini,

Arminius quotquot dogmata praua fouent.

*** In præfat. *positionum philol. theol.* p. 2. sq. ubi plura huc pertinentia habet.

**** In elaboratissimis *institutionibus hermen. sacræ lib.* III. cap. IX. §. 9. p. 713.

narunt, theologis defuerunt Socinianorum strophis sese fortiter opposcentes. IOANNES enim CHRISTOPHORVS BIELEFELDIVS, soliditate iudicii, eruditione & egregio dono exegetico nemini secundus, *dissertationem theologicam de admirando iudicii & amoris diuini temperamento in mysteriis Ιηου Ιησφ pro nobis & in nobis*, Socinianis aliquando * opposuit. Neque IOAN. BARTHOLOMAEVS RVDIGERVS hic omittendus laudeque sua priuandus videtur, siquidem eius exstat ** *dissertatio theologica, qua in agno occiso ab origine mundi occasione loci apoc. XIII, 8. Christum, vt causam salutis meritoriam, defendere voluit*. Quibus addo CHRISTOPHORVM LVDVICVM SCHWARZENAV, theologum itidem Giessensem, in *enchiridio Socinianismi*. *** Quod dum scribo, peropportune incidit in manus b. IO. ERN. GERHARDI disp. qua *perennitatem faderis gratiæ ex actior. XV, 11. per singulas faderum æconomias demonstratam stitit* **** in qua præcipue de iustificatione agit.

§. X.

His omnibus iure summo accensebo IO. HENRICVM MAIVM, patrem, quo diu gloriatæ sunt musæ Giessenses. Hic vti variis ingenii monumentis, quæ ætatem ferent & in per-

* Giessæ 1707. ventilata. EII standum fuit, qui illum
 ** Giessæ 1719. habita. in *introductione in historiam*
 *** Giessæ & Francofurti *theologiæ litterariam, notis am-*
 1720. 4. Hunc, fateor, non *pliffimis illustratam, lib. III. §.*
 vidi, sed testimonio illustris 10. p. 345. laudauit.
 Tubingensium theologi, CHRI- **** Giessæ 1702. recusa
 STOPHORI MATTHAEI FFAF- 1705.

perpetuo erunt doctiorum pretio, sui memoriam in futurum æuum transmisit: ita & locum Socinianis exitialem, ideoque infensissimum, I Ioan. V, 7. magna eruditione, & non minori soliditate, genuinum vindicauit. * Vindicauit quoque grauissimum de iustificatione articulum. **

§. XI.

Tacemus plura, sed breuiora, Giessensium scripta, ac disputationes exasciatas, huc pertinentes: quarum tantus est numerus, vt ille vix possit iniri. Earum multæ in Giessensibus *disputationibus theologicis de præcipuis quibusdam horum temporum controuersis*, *** conseruatae conspiciuntur. ****

C

§. XII.

* Namque *examini historie præcipuis aliis, argumento huic criticae textus noui test. P. Rich. Simonii*, magno eruditorum plausu excepto, adiecit *defensionem dissertationis Smithianæ contra exceptiones Simonii*: quæ & ipsa THOMAE SMITHI, Angli doctissimi, *dissertatio, qua integritas & ἀκεραιότης celeberrimi loci I Io. V, 7. a suppositionis nota vindicatur*, accessit.

** In *disp. theol. in qua quaestiones selectæ controuersæ de iustificatione hominis forensi, quæ his etiam temporibus potissimum sunt motæ*, vna cum *præcipuis aliis, argumento huic cobærentibus, in quantum fieri potuit, solide ac modeste resoluntur*, Giessæ 1708. *** Cusæ illæ sunt Giessæ ab annō 1610. & seqq. in 8. Vtinam vero laudabile hoc institutum numquam fuisset abruptum! **** Sic v. c. tom. V. disp. 4. p. 94. sq. exstat, quæ CHRIS- TOPH. HELVICI est, *in qua consideratio aliquot locorum scripturæ controuersorum de S. S. trinitate & persona Christi ad confirmationem fidei instituta*.

§. XII.

Non incongruentem reor, neque cordatiorum iudiciis derisam sententiam, ad Giessensium eos, qui profana Socinianorum dogmata eneruarunt, referendos quoque esse iudæorum debellatores. Nemo enim nescit, multa dogmata, atque illud præcipue *de diuinitate Messiae* iudæos cæcos pari ratione negare. Et contra iudæos autem tam exasciata doctorum suorum scripta habet illustris Ludouiciana, vt iis superbire quodammodo videatur.

§. XIII.

CHRISTOPHORVS HELVICVS, Giessæ, totius Hassiæ, immo vniuersæ Germaniæ quoddam miraculum omnisque eruditionis penu vastissimum, * non solum *systema controuersiarum iudaicarum* conscripsit; verum etiam *elenchis iudæorum de aduentu & persona Messiae*, optime de doctrina puriori meritus est, famæ gloriam nactus, nullo vmquam tempore intermorituram. Culta Bataua, omni optimorum librorum genere refertissima, magno in pretio hunc librum habuit. Quumque esset rarissime obuius, dignissimum illum, quem

* Erat primum græcæ & CKELMANNVS in *orat. fune-*
 ebrææ linguæ, post & theolo- *bri*; PETRVS BAELIVS in
 giæ professor: quem merito *dictionaire historique & criti-*
 theologum, philologum, phi- *que*, tom. II. f. 142 I. sq. edit. 3.
 losophum, historicum, chro- HENNINGIVS WITTE in
 nologum prædicamus & ad- *memoriis, theologorum*, deca-
 miramur: vt hoc nomine ma- *de I. p. 97. sq. & allgemeines*
 ximis maximi viri eum extu- *historisches lexicon*, tom. II. f.
 lerunt laudibus, vt IO. WIN- 794.

quem cum præfatione Lugduni Batauorum * denuo publici iuris faceret, existimauit THOMAS CRENIUS, vir de præclaris litteris meritissimus, æternæque memoriæ commendandus. Nihil vt dicam, HELVICVM & alibi contra iudæos pariter atque Socinianos egregie in arenam descendisse, vt in *vindicatione locorum sacrae scripturae* ** ac præcipue in *tract. histor. & theol. de chaldaicis bibliorum paraphrasibus*. ***

§. XIV.

PETRVS quoque HABERKORNIVS dici non potest, quum accuratè contra iudæos disputauerit. Testatur de eo scriptum, quod inscribitur: *diuinitas Messia ex collatione locorum veteris testamenti contra iudæorum deprauationes adserta & exhibita*. Id obseruare decet, singulari quadam ac præcipua ratione HABERKORNIVM ad excolendas diligentissime hæc controuersias obstrictum obligatumque fuisse. Postquam enim Hassi theologi, coram iudæis conciones habendas suassent: imperauit serenissimus Landgravius GEOR-

C 2

GIVS,

* Anno huius sæculi secundo in forma, quam vocant, duodecima. Constat autem hoc opus *elenchis*, siue disputationibus VIII, & *epelenchis*, siue *adpendicibus* IV, ac reperiuntur quoque in *disputationibus theol. Giessens. tom. IV. pag. 80 -- 380.*

** Qui liber itidem a THO-

MA CRENIO recusatus est in *fascibus exercitationum philologico-historicarum.*

*** Etenim cap. V. p. 25. sqq. *de insigni chaldaicarum paraphraseon usu in controuersis contra iudæos: quomodo & c. VI. p. 31. sqq. de vera Messia diuinitate, e chaldaicis paraphrasibus, præcepit.*

GIVS, vt legendo pariter ac concionando apud iudæos eorum conuersionem omni studio promoueret HABERKORNIVS. Immo ad huius percipiendas conciones ad minimum quater quotannis omnes, siue Giessæ, siue in subiectis Landgrauio dititionibus, commorantes iudæi coacti fuerunt. Id quod ipse HABERKORNII collega, DAVID CHRISTIANI, theologus ac philologus Giessensium doctissimus, refert. 2

§. XV.

Iterum nunc menti animoque obuersatur magnus ac supra iam laudatus, sed quauis laude maior theologus, IO. HENR. MAIVS, *o managirs*, vir pietate, varia eruditione, auctoritate incomparabilis, præsertim vero sacræ philologiæ præsidium quoddam ac firmamentum, quo maiorem in cathedra sua Giessâ habuit fere neminem. Hic euulgauit etiam *synopsin theologiæ iudaicæ veteris & nouæ, in qua illius veritas, huiusque falsitas, ex sacro ebræo codice, & ipsis iudaicæ gentis scriptoribus antiquis & nouis, per omnes locos theologicos solide iuxta ac perspicue ostenditur.* ** Quæ admodum, vt fas est, ab omnibus laudatur, in primis a vener. IOAN. FRANCISCO BVDDEO, *** & IO. GEORGIO WALCHIO. ****

§. XVI

* *De Messia disput. I. quæ lasque eius partes, lib. II. c. VII. agit de Messia eiusque aduentu* §. 10. p. 1396. b.

in genere, §. 18. p. 8.

** Giessæ 1698. 4.

**** *In der historischen und theologischen einleitung in die vornehmsten religions-streitigkeiten, cap. IX. §. 8. p. 737.*

*** *In isagoge histor. theol. ad theologiam vniuersam singu-*

§. XVI.

Possem quidem & eos huc aduocare Giessenses, qui vniuersalem quamdam *theologiam elementicam* tractauerunt, & in primis KILIANI RVDRAVFII, acutissimi theologi, *sylogem extensioem* multis nominibus commendare. Commemorare laudibusque, si hunc campum ingredi vellem, prædicare possem MICHAELIS SIRICII *collegium controuersiarum*: quippe qui & Socinianorum calumnias adcurate repulerunt. Verum ne forte longius hæc petita quibusdam videantur: id, ne in censuram incurram, in præsens omitto.

§. XVII.

Ad alium potius, Giessensibus nunc adsociandum, in cuius honorem obseruantissimo animo hancce commentatiunculam conscripsi, contendo, eiusdem contra Socinianos merita paucissimis expositurus. Liceat igitur, TE, vir summe reuerende, excellentissime atque amplissime,

IOANNES IACOBE RAMBACHI,

in præsens adfari. Adfandi enim causæ adsunt grauissimæ. Tametsi multæ, eæque haud leuioris momenti rationes ab hoc publice TIBI gratulandi officio me deterrere facile poterant; siquidem, vt alias nunc omittam, verendum mihi

erat, vt sine rubore adſpectum TVVM ferret commentatio, quam extemporali opera, nullus fere litterariis ſtipatus ſubſidiis, in chartam conieceram; fretus tamen ſingulari TVA humanitate, malui meæ erga TE pietati, quæ id mihi officii imperabat, immo efflagitabat, obſecundare, quam illum ob metum calamum deponere. Quod ſi enim in alterutro mihi peccandum ſit: melius omnino eſſe putabam, parum doctum, quam parum pium videri. Pietatem autem læſiſſem omnino, niſi TIBI, præceptorum quondam fideliffimo ac dexterrimo, pro beneficiis in me collatis, non priuatim modo, ſed & publice deuotiſſimas gratias egiffem, vt qui publicis quoque lectionibus mea quondam ſtudia formauiffi. Id quod, quum pro more, in academiis non inconfueto, diſſertatione quadam epiftolica, eaque ad gratulandum compoſita, exſequi ſtatuiffem: circumſpicienti mihi materiam, ad ſcopum non ineptam, præſentem hanc de Giſſenſium contra Socinianos meritis eligere viſum fuit: quæ tum loco, ad quem abis, tum TVIS contra Socinianos ſtudiis, conuenientiſſima videbatur. Menti enim adhuc obuertatur, quod ante nouem circiter meſes contra SOCINI adſeclas, noua prorfus, & inaudita, ſtringentiſſima ratione diſputaueris, Chriſtique diuinitatem æternam ſummamque ex iure iurando per ſe ipſum acute euiceris; * quodque heſterno die pro ſummis in theologia honoribus, rite conſequendis, contra eodem iterum acroaterium maius candidiſſima voce impleueris,

* In *diſſert. theol. qua Ieſu monſtrata ſiſtitur*, Halæ, 1730. *Chriſti ſumma diuinitas ex e-
ius iuramenti per ſe ipſum de-* mense ſept.


ris, docteq̄ue pie ac subtiliter differendo pellem ouinam ipsis detraxeris. * Præterea TE alibi iam in libris ** lectorum animos contra Socinianum venenum corroborasse, mihi succurrebat. Quæ omnia, quoties adtentius paullo consideravi, consideravi autem sæpissime: toties non potui non in hæc incidere cogitationes: felicem esse almam Giessensem, quod eiusmodi theologis adhuc abundauerit, qui cælestem doctrinam contra quosuis eius tum apertos, tum clandestinos, hostes, præcipue autem Socinianos, adserere, eiusque decus conseruare summo studio & incredibili labore studuerint; felicem eam esse, quod nunc TE, vir venerande, felici fidere ornetur, cui idem pro veritate vigilandi eamdemque defendendi studium semper fuit commendatissimum. Magna profecto lux adfulget Giessæ, quæ TE læta & hilaris exspectat; quum TE contra mcestissima mente, multis tamen cum piis votis, Hala dimittat TVVMque abitum e patria acerbissime deploret. Neque enim Hassiacæ inuidere debemus, quod diuino illi beneficio contigit. Iniurii sic in Deum, ecclesiæ rectorem, essemus: cuius omnino prouidentia accidisse crediderim, vt Ludouiciana, quæ hoc sæculo morte quinque præstantissimorum theologorum, quorum omnium *Ioannis* nomen fuit, IO. ERN. GERHARDI, IO. HENR.

MAII,


* In vberiori *diff. theol. inaugurali*, tractatus speciem præse ferente, qua *pellis ouina, Socinianis detracta, sistitur*, die XXVIII. Iunii huius 1731. anni eruditorum examini submissa.

** Veluti in *institut. herm. sacræ*, & in *exercitationibus hermeneuticis*: vt præuiis indicibus, nullo negotio, videri potest.

MAII, IO. CHRISTOPH. BIELEFELDII, IO. BARTHOLO-
 MAEI RVDIGERI & IO. GOTTFR. SCHVPARTI in luctu
 fuit & insolabili pæne dolore confecta est, alio IOANNE,
 a Fridericana donato, reficiatur ac recreetur. Ceterum
 quum triplex grauissimum officium humeris TVIS Giessa
 inponat: ad illud & in academia, & in ecclesia, & in sacro
 tribunali rite explendum, triplicia dona, eaque largissima,
 ex immenso bonitatis ac diuinæ abundantiae thesauro, sin-
 cere adprecor & voueo. Sis quam longissime superstes, quo
 ecclesiae vniuersæ & ore, & scriptis, multum adhuc prodes-
 se, puriorem doctrinam contra omnes corruptelas egregie
 tueri & ornare, pietatem vrgerere ac promouere, sicque Chri-
 sti regnum, diuino munere, amplificare queas. Ita nec fru-
 ctus vberimus lætissimusque, siue in hac, siue in futura
 vita, percipiendus, vniquam TIBI deerit. Voto hoc
 concludam, velit Deus optimus maximus ordinem huius aca-
 demiae theologicæ, qui HERENSCHMIDIO, FRANCKIO,
 ANTONIO, lucidissimis orbis euangelici luminibus, extin-
 ctis, magnum discrimen ac detrimentum sensit, cuiusque
 nondum coalescens vulnus TVO, vir summe reuerende,
 habitu velut recrudescit, benignissime respicere, omnia ac
 singula eius membra TVOSQUE successores, quam diutissi-
 me conseruare, in primis venerandis eiusdem senibus Ne-
 storeos annos concedere. Vale in Domino, TVVMQUE fa-
 uorem, quod adhuc fecisti, mihi porro conserua. Da-
 bam in regia Fridericana, die XXIIIX. Iunii,
 CIOIOCCXXXI.



u
u
u
u



COMMENTATIO

DE

Colour & Grey Control Chart

Danes Picta

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta
White Grey 1 Grey 2 Grey 3 Grey 4 Black




VARIIS OBSERVATIONIBVS ILLUSTRATA:

AD

*VIRVM SVMMÆ REVERENDVM, EXCEL-
LENTISSIMVM ATQVE AMPLISSIMVM,*

**IOANNEM IACOBVM
RAMBACHIVM,**

S. S. THEOL. DOCTOREM EIVSDEMQUE IN
REGIA FRIDERICIANA PROFESSOREM PVBL. ORD.



M. ERNESTO FRIDER. NEVBAVERO

AMPLISS. PHILOSOPH. ORDINIS IN REGIA FRIDERICIANA ADIVNCTO.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

APVD IO. CHRISTIANVM HENDELIVM, 1731.